

N. 23. 78 L 1637 [31]

Q. B. V.

קָרְשׁוּעַלִיָּה
H. E.

CARSEOLI

AD ILLVSTRANDVM

I V D I C. X V. 4. 5.

L O C V M

COMMENTATIO

Q. A.

AD AVDIENDAS

ORATIONES QVASDAM

D. VII JANVAR. MCCCLIX

IN

GYMNASIO HALLENSI

INVITAT

IOANNES MICHAEL GASSER,

GYMN. HALL. RECTOR.

HALLAE MAGDEBURGICAE,

LITTERIS EMANVELIS SCHNEIDERI.



Kapsel 78 L 1637 [31]

X304 7850

AK



§. I.



Phoenices quondam non late solum maria tenuisse, sed
in florentissimas terrarum partes colonias etiam,
quasi populorum examina, misse, veterum an-
naliū monimenta testantur. Hinc solers homi-
num genus POMPONIO MELAE (a) vocantur,
& ad bellī pacisque munia eximium. Litteras &
litterarum operas, aliasque etiam artes, maria nauibus adire, classe config-
gere, imperitare gentibus, regnum proeliumque commenti. Longum foret,
omnes enumerare colonias, quae a Phoenicibus profectae, in toto fere ter-
rarum orbe sedes posuerunt, e quaum infinito numero aliquas tantum
commemorabo. (b) Testis est Africa, in qua Uticam & Carthaginem,
ambas inclitas, condidere (c): testis est Hispania, in qua praeter Hercu-
lis Tyrii templum illustre, Gaditanum, multas etiam vrbes celebres consti-
tuere: testis est Sicilia, cuius litora circumquaque a Phoenicibus habitata
sunt: testis est Sardinia, quam primo deducti e Phoenice coloni, deinde
Carthaginienses occuparunt. Quid de Balearibus, quid de Corsica, quid
de omnibus oris atque omnibus exteris gentibus ac nationibus, quid deni-
que de maribus tum vniuersis, tum de singulis sinibus ac portibus dicam?
Quis enim toto mari locus, quae ora paullo beatior, tam fuit abdita, vt
Phoe-

(a) De situ orbis L. I. c. XII.

(c) META L. I. c. VII.

(b) Vid. EOCARTI Chanaan L. I. c. II.

Phoenicum, qui centum oculos habebant, aciem fugeret? Quippe ideo trans omnia currebant aquora, ut diuersas opes maris atque terrarum commercio permutarent ac miscerent. Mirum igitur, ni in *Italianam* quoque nauibus commearint Phoenices: praesertim quum & agrorum vbertate & fructuum varietate, & vni oleique copia ista regio abundaret; quum supero inferoque mari cincta, portubus distincta, insulis circumdata, Phoeniciisque esset coloniis paene circumsessa. Quare nullus equidem dubito, quin nauibus Phoenices non in *Italianam* modo accesserint, verum etiam colonias in fertilissimo illo solo collocarint. Quod qua ratione confirmari possit, iam operam dabo, vt, quoad eius fieri potest, cognoscatur.

§. II.

Aut vehementer ego fallor, aut in vulpe *Carseolana* Nasonianisque expressa *Samsonaeum* vestigia vulpium inuenio. Et facit sane summi BOCHARTI consensus et auctoritas, ut ludicrum Circense, quo Romae quotannis vespes combustae sunt, e Phoenice, et remotius e Palaestina originem duxisse, plane mihi persuadeam. Quod quo facilius diiudicari queat, facere non possum, quin OVIDII versus hoc transscribam d).

Tertia post Hyadas cum lux erit orta remotas,

Carcere partitos Circus habebit equos.

Cur igitur missae vinetiis ardentia taedis

Terga ferant vespes, causa docenda mibi.

Frigida, Carseoli, nec otiis apta ferendis

Terra, sed ad segetes ingeniosus ager.

Hac ego Pelignos, natalia rura, petebam;

Parua, sed adsiduis vuida semper aquis.

Hospitis antiqui solitas intrauiimus aedes.

Demserat emeritis iam iuga Phoebus equis.

Is mibi multa quidem, sed & haec, narrare solebat,

Vnde meum praesens instrueretur opus.

A 2

Hoc,

d) *Egff. L. III. 679 sqq. ex reccessione P. BURMANNI.*

*Hoc, ait, in campo, (campumque ostendit) habebat
 Rus breue cum duro parca colona viro.
 Ille suam peragebat humum, sive usus aratri,
 Sive cauae falcis, sive bidentis erat.
 Haec modo verriebat flantem tibicine villam:
 Nunc matris plumbis oua fouenda dabat.
 Aut virides malvas, aut fungos colligit albos:
 Aut humilem grato caifacit igne focum.
 Et tamen adsiduis exercet brachia telis,
 Aduersumque minas frigoris arma parat.
 Filius huius erat primo lascivus in aeuo:
 Addideratque annos ad duo lustra duos.
 Is capit extremiti vulpem sub valle salicti:
 Abstulerat multas illa cohortis aues.
 Captiuam stipula foenoque inuoluit, & ignes
 Admouet: vrentes effugit illa manus.
 Qua fugit, incendit vestitos messibus agros:
 Damnosi vires ignibus aura dabat.
 Factum abiit: monumenta manent: nam viuere capram
 Nunc quoque lex vulpem Carseolana vetat.
 Vtque luat poenas gens haec, Cerealibus ardet:
 Quoque modo segetes perdidit, ipsa perit.*

Ex hoc loco perspicuum est, 1) vulpes taedis ardentibus vinctas Romae
 in Circo cucurrisse, 2) idque Cerealibus, spectaculo sollemni & publico,
 fastis etiam notato, 3) non paucas numero bestias, sed ingentem, vtique
 ludis sollemnibus, multitudinem congregatam fuisse, 4) consuetudinem
 hanc a vulpe Carseolana repeti, 5) hanc ipsam foeno stipulaque inuolutam
 admotos a pueru quodam ignes effugisse, lateque per segetes maturas in-
 cendum,

cendunt sparsisse, denique 6) legem *Carseolis*, ne vulpes capta viveret, constitutam, & 7) ob hanc vulpis *Carseolanae* iniuriam de vulpina gente, quotannis Romae Cerealibus sumtum esse supplicium.

§. III.

Videretur quidem magno BOCHARTO, vulpibus in Circo combustis cum *Carseolana* nihil commune fuisse: quod *Carseolis* vulpes una, Romae plures arserint; et quod illa stipulis foenoque implicata, hae taedis ardentibus caudae adligatis cucurrerint. „Absit igitur a nobis, „inquit, vt ritus tam sollemnis originem arcessamus a tam obscuris ini- „tiis. Quin a Phoenicibus id ortum est, qui rei apud se gestae fa- „mam paullatim disseminarunt. Cui probando adferam, pergit BO- „CHARTVS, hic duo non temere praetereunda: unum, quod Romae „vulpes foeno non inuoluebantur, quo modo vulpes *Carseolana*, sed tae- „das in cauda gerebant: alterum, quod emittebantur haec vulpes, non „quo tempore Romae vel *Carseolis*, sed quo tempore in Palaestina fit tri- „ticea messis, nempe circa medium Aprilem, quod Romae fationis, non „messis tempus est. At in Aegypto & Palaestina res se habet multo ali- „ter, (e). Verum enim vero quamvis hospitis *Carseolani* de vulpe sua nar- „ratio non omnino conueniat in vulpes Romae per Circum missas: id ta- „men non obstat, quo minus eundem ritum & Romam & *Carseolos* antiqui- „tus peruenisse dicamus. Neque enim illad magni referit, Romae morem istum, a Phoenicibus profectum, mansisse, *Carseolis* autem desiisse, to- „tamque rei gestae memoriam fabulis tandem esse deformatam, quum ra- „lia etiam nunc vsu venire sciamus. Age igitur, videamus, quo rem deduc- „cam, et quo argumento coniecturam meam confirmem.

§. III.

Aio itaque, vulpis *Carseolanae* natales ad Phoenices referri oportet. Quid enim *Carseoli*, vel, vt PTOLEMAEVS extulit, Καρσολοι, aliud sunt, quam שׁוּעָלִים, vrbs vulpium? Estne ouorum, quod in pro- verbio dicitur, similitudo maior? A quibus autem id nominis vrbi im- putum esse credamus, nisi ab iis, quos lingua hebraica vsos esse constat? Miror igitur, nec maximo BOCHARTO, nec doctissimo CASSELIO,

A 3

(e) Hieros. L. III. c. XIII. p. 257.

qui in nominibus his investigandis sagacissimi fuerunt, huius urbis in memorem venisse, praesertim quum superior ille *Carseolanam* vulpem cum romanis et circensis comparauerit. Namque קָרְרָה, קָרִיה, קָרָתָא, קָרָתָה item קָרָר, et, si libet, עֲרָרָה pro quo קָרָר, ut in אַרְקָעָה pro אַרְעָא f), et graeci interpretis Ἀρβόν ex ἀρβύ g), has omnes, inquam, voces *urbis* notionem habere, translaticum est.^{h)} Quaecumque igitur loca his nominibus appellata sunt: ea, Phoeniciae originis esse, ipso verbi sone declarant. Iam quum omnem, quaqua patet, terrarum orbem nauigationibus suis lustrauerint Phoenices, nemini mirum videri debet, tot ubique urbes, amnes, insulas, prouincias, nominibus Phoeniciis signatas deprehendi. Quis nescit *Cirtam*, Numidiae urbem opulentissimam et caput regni; *Tigranocertam* Armeniae; *Carthaginem* Poenororum & Hispanorum? Atqui has, & multas alias praeterea ab Phoenicibus nominatas esse, quis ignorat? *Car* in *Carthago* manifeste est originis Phoeniciae, & conditores suos, si de iis non aliunde constaret, prodit. Quidenim, quaevo, *Carthago* aliud est, quam קָרָה קָרָר, graece Καρχηδόν, Siculis Καρχεδών (χ et θ dorice permutatis, vt ἔγιχθες pro ἔγιθθες) unde per metathesin latinorum *Carthago* exsurgit, quae vox urbem nouam, quem ad modum VIRGILIO vocatur⁽ⁱ⁾, graece καυνὴν πόλιν, vt STEPHANVS et POLYBIUS interpretantur, designat. Eadem proinde ratio et significatio est syllabae *Car* in *Carseoli*.

Restat altera pars, e qua *Carseoli* nomen compositum atque conflatum est. Iam quis *Seoli* ex סְוֵלִי vel סְוֵלְלִי extitisse non videt? quis litteras radicales non agnoscit? Nimirum ו in S mutari, vel pueri notum est, qui nondum aere lauantur k). Ad haec quam sit varia communabilis que vocalium ratio, praesertim in vocibus peregrinis, aliam in lingua translati, neminem fugere potest harum rerum peritum & intelligentem. Adde, quod in litterarum ordine hebraeorum elementum ו latinorum O respondeat; & quod denique pluratiui numeri nota, hebraeis vsitata, more latinorum effterri debeat. Sic nullo negotio *Seoli*, et praeposito urbis nomine קָרָק, *Carscoli* luculentissime adparebit.

§. V.


(f) Ier. X. II. (g) Gen. XXIII. 2.

(h) Vid. Celeberr. SIMONIS A. F. p. 370. & Onomast. V. T. p. 71. 56. 67. 161. 244. 247. etc. Clar. CASSELII disquis. critico-philolog. de Kartha,

(i) Aen. I. 370. (k) HILLERI Onomast. sacr. p. 702. sqq.

Itaque dubitari non potest, quin vox *Carseoli* ex קַרְשָׁוּלִיּוֹת integrata expressa sit atque efformata. Iam *Carseoli* aequa ac *Carthago* e Phoenice nomen traxerunt: quare ad pulsos nauibus Phoenices in Italiam esse, neque oras tantum maritimas, sed partes etiam mediterraneas occupasse, iisque nomina imposuisse credibile est. Praeterea singularis factis de nomine *Carseoī*, *vulpium urbem*, adpellasse, vero est simillimum. Quidnam autem Samsonis factis maius, quid illustrius, quid gloriosius cogitari potest? qui tamquam alter Hercules non mirabilia modo, sed prodigiū similia facinora fecit: quibus non apud suos tantum, sed apud exterros quoque aeternam famae celebritatem consecutus est. Recens erat clavis, Palaestinis per vulpes inflictæ, memoria, acerbus dolor, vehemens indigatio, magnum in Iudeos odium, maior etiam rituum Mosaicorum de testatio: quae omnia gentem, rebus secundis elatam, facile mouere poterant, ut infesti animi signa et monumenta publice exstare vellent. Nec desuit occasio. Mox enim vrbi in Italia vel primum ab se exstructae, vel certe nouis coloniis auctae, *vulpium* nomen indiderunt, institueruntque, ut quotannis in Cerealibus de vulpina gente supplicium sumeretur, quod frugibus et vineis noxiom esse facto Samsonis didicerant. Quod institutum siue eodem tempore Romanum migrauit, siue post ea transductum illuc est, videtur tamen, ut ipsum Aequorum oppidum, ira hic mos etiam, sensim *Carseolis* obsoleuisse, ac Romae tantum, quo omnia ludorum genera congregabantur, mansisse. Scilicet tamquam sidera parua & exilia validiorum ortus obscurat: ita oppidorum, pulcrorum antea et nobilium, splendor ac dignitas vrbis omnium maximam confinio inumbratur, vel plane extinguitur. Falsus ergo est OVIDII hospes *Carseolanus*, qui, quam a maioribus natu audierat, fabulam, mire depravatam, poetae narravit. Fieri enim fere solet, ut ea, quae longo saeculorum terrarumque interuallo gesta sunt, tandem ita corrumpantur, ut verum a falso, fabula ab historia, vix internosci ac discerni queat. Verum, quod sub fabula later, triplex est, primo quod *vulpes* capta sit, deinde quod arserit, ac denique quod fugiens segetes incenderit: falsum autem, quod vna tantum fuerit, quod foeno stipulisque inuoluta sit, quod illa tandem vna et sola tam late incendio messes corruperit. Omitto cetera, quae fabulae ornandæ causa reperta sunt. Interim habet haec fabula, ut multæ, id comodi, ut per inuoluca et integumenta haud raro veritatem perspiciamus.

Sane




Sane *Carseolana* illa vulpes cum romanis comparata, immo vel sola prioris patria eo nos dicit, ubi et veritas est, et inueniri potest. Samsonem dico, cuius inter res in Palaestinorum finibus gestas haec, quae ad vulpes pertinet, haud est postrema.

§. VI.

Itaque ad Samsonaeas vulpes statim progrediemur, visuri, quo modo res tanta fieri, ac memoria eius in Italianum propagari potuerit. Nihil hic tectum, nihil inuolutum, sed omnia aperta, omnia explicata cerneamus. Ita enim rem gestam narrat scriptor diuinus (1): *Samson ecc. vulpes cepit, sumtisque taedis, et obuersis inter se vulpium caudis, singulas rae-das binis caudis interposuit. Post accessis taedis, dimisit viipes in segetes, itemque vineas et oliueta illorum combussit.* Non ignoro equidem, esse, qui sacri historici verba in aliam sententiam detorqueant: quod incredibile videatur, tantam vulpium multitudinem ab uno Samsone capi potuisse. Idcirco vulpibus repente via cum cure, et auribus, et caudis et pedibus, adeoque cum intestinis omnibus in straminis pugilos manipulosue conuersis, Samsonem faciunt fasciculos stramineos accensos in Palaestinorum segetes iaculantem: idque eo consilio, ut iis, qui sacram scripturam ridendi vni-dique occasiones captant, felicius occurri possit. Verum enim vero sicut laudabilis illorum est industria, qui scripturae sacrae auctoritatem ab irrisoribus defendunt: ita vehementer vereor, ut isti consilio eventus respondeat. Hominibus enim istis, qui astutam vapidu sub pectore vulpem gestant, tantum abest, ut hoc pacto risus eximi queat, ut suatu, ut se-curius, ut impunius rideant. Etenim in voluminibus sacris fingendi refingendi scientia femel concessa, quis finis, quis modus denique mutandi flatuetur? Nonne oraculorum diuinorum liber, ut Proteus ille, in for-mas mille transformabitur? Non profecto tali auxilio, nec defensoribus istis tempus eger. Quid enim, per deum immortalem, in hac historia est, quod fidem humanam superet? Tu mihi, inquit, tantum vulpium agmen narras, quantum vniuersa Cananeorum terra vix aluit, vnius Sam-sonis manu captum, innoxie tractatum, caudisque obuersis constrictum, morsu abstinuisse? Et sciunt, qui venandi studio agros, filias, mones peragrant, quam multae operae, quantique laboris res sit, vnam vulpe-

(1) *Iudit. XV. 4. 5.*



culam viuam capere et vincire, nedum trecentas. At enim vero non sunt haec eiusmodi, quae sententiam nostram infirmare queant. Num enim magnam vulpium copiam romani comprehendere potuerunt, et Samson non potuit? Illi tot bestias taedis ardentibus post terga ligatis per Circum egerrunt: hic faces incensas caudis earum innectere non valuit? Vulpes *Car-solana* vna in segetibus tantum excitauit incendium: et Samsonaeas plures idem effecisse, supra fidem est? Sed concedamus tantisper, quod concedi non potest, nec in Germania, nec Italia tot vulpes reperiiri: num idem de Palaestina aliisque regionibus Asiaticis negabitur? Evidem ex amplis fide dignissimis efficiam, vt ii, qui contra nos dicunt, intelligant, ab Samsone vulpes non trecentas, sed vel sexcentas et amplius, non maximo labore capi potuisse.

§. VII.

Fuisse enim istud animantium genus in Palaestina et vicinis regionibus frequentissimum, tum crebra illarum mentio (m), tum terrae oppidae que ex illis nominata (n) declarant. Ipsa Samsonis patria Zarea fuit, vrbs Palaestinis finitima, atque non procul ab *Saalbim*, oppido, quod a *vulpium* copia nomen traxit, distans. Itaque nec operoso labore, nec multorum dierum molestiis, nec ingenti canum retiumque adparatu, sed esca exigua, sed loco opportuno, ad eam capturam opus fuit. Est genus quoddam animalium, (*Turcae* et *Persae Schagal* vocant, eodem fere nomine, quo hebrei *לְבִבָּשׁ*) vulpi simillimum, tam copiosum in terris orientem solem spectantibus, vt gregatim currant, et, teste *BELLONIO*, aliquando *ducentas* vna conspiciantur(o). Quid? quod in ipsis Indiae orientalis suburbii vulpes versari, atque in ipsos homines aliquando impetum facere, *SCHVLIVS* refert (p). Vidit vulpes sub crepusculum noctis paruum puerulum domi sine custode relictum (modo enim rei suae causa mater domo exierat). Praedam opimam opportune sibi oblatam rata bestia, dentibus in miserum atque inermem inuolat, rostro in latibulum suum pertractura. Sed clamore pueri exaudito, concursuque vicinorum facto, ex fauibus improbissimis praeda erepta est. Addit praeter ea *SCHVL-*

B

ZIV 9,

(m) Psalm. LXIII, 11. Cantic. II, 15.

(n) I Sam. XIII, 17. Ios. XV, 28. c. XXVIII, 3. I Chron. III, 28. Neh. XI, 27.

(o) BOCHART. *Hieroz.* p. 855. (p) *Relat. Malabar.* Continuat. XXXXVIII. p. 164i.

ZIVS, noctu vulpes quasi agmine facto circum muros grassari, inconditoque ac truci clamore omnia implere. Porro se, Tranquebariae quum esset, accepisse ait, fabrum quedam lignarium vesperi nullo comite in vicum aliquem tendentem, in via ab immani vulpium grege circumuentum, primo quidem ascia sua aliquot occidisse, tandem vero reliquae multititudini imparem tristi nece interierisse: ossa postero die inuenta, iuxtaque asciam, et vulpes primo conflictu intereratas indicio crudelissimi lanitus fuisse. Tam illaetabili spectaculo adiungit aliud iucundius. Hominem enim Tranquebariensem, finium custodem, nomine Ramaacken, narrat animi oblectandi causa tot vulpes cepisse, quot habuerit tum forte tintinnabula (quae centum fere numero fuisse dicuntur): deinde singulas, tintinnabulis de collo suspensis, libere vagari permisisse. Quare vere idem auctor iudicat, paucis diebus plus quam sexcenta id genus animantia capi ab uno homine posse.

§. VIII.

Ergo quiuis vnu de plebe, et priuatus, per se et a nemine adiutus paucorum dierum spatio tanta vulpum vi potiri potuit: nos Samsonem, incredibili et animi et corporis robore virum, ne dimidiare quidem earum partem conquirere potuisse dicemus? Erat Samson manu fortis, et consilii plenus: id quod singula eius facta loquuntur. Quippe ferocissimum leonem manu discerpit: asini maxilla Palaestinos mille trucidavit: Gazae portas munitissimas postibus suis auulsas in montem humeris transtulit: postremo aedes amplissimas captiuus, luminibus orbatus, debilitatus, inertmis, et iamiam moriturus euerit, ingentemque Palaestinorum multitudinem ruina inuoluit. Viribus consilium et prudentia non defuit. Noverat artes mille, mille dolos, quibus feras falleret, et laqueis irretire. Tandem nec illud praeterendum est, videri Samsonem non vno die, sed pluribus, non sua vnius manu, sed venatorum opera et auxilio hoc omne negotium perfecisse. Erat enim magna iudicium auctoritas et existimatio et amplitudo: qua re populum, cui preeerant, facilem habebant et obnoxium; vtique in re minime ardua, sed plana et expedita.

§. VIII.


Facti tam singularis, tam inusitatii, tam inauditi famam a Palaestina primum ad Phoenices, deinde per hos in Italiam manasse, proximum vero

ro esse supra ostendimus. Restat adhuc, ut, qui IOANNEM CLERICUM, doctissimum scripturae sacrae interpretem, pupigit, scrupulum ex animis lectorum euellamus. Primo, dubium est, inquit, an Philistaei fuerint participes nauigationum Phoenicum proprie dictorum: deinde credibile non est, aut eos voluisse cladis suae memoriam celebrare, et ad posteros propagare, aut rei eiusmodi μνηστυνοι inter Italos etiam fuisse institutum. Sed qui meminerit, Palaestinos Phoenicae finitos, totum illum tractum maritimum, portibusque celeberrimis plenissimisque nauium instructum, adeoque mercaturis faciendis opportunissimum, agros adhaec frugum vbertate vinique copia abundantes, Gazam denique cum Tyro et Sidone ab antiquis scriptroribus coniungi (q): haec, inquam, omnia qui diligentius considerauerit, is rem non modo probabilem sibi videri, sed omnino extra dubitationem esse confitebitur (r). Deinde cladum etiam memorias conseruari, et quotannis celebrari, atque ad posteritatem propagari, magna vi exemplorum, nisi res per se luceret, posset demonstrari. Verum ista, quia nota sunt, facile praetermitto. Accedit, ut ludicra ista vulpium combustio non ad illarum honorem, sed ad supplicium, simulque ad liberandam tam perniciose bestiarum genere patriam pertinuerit. Simili modo de canibus Romiae quotannis supplicium sumptum esse, ex PLINIO et PLUTARCHO discimus. Quum enim irruptione Gallorum in Capitolium facta anseres clangore vigiles excitascent, canes autem dormientes officio defüssent: memoriam huius rei romani diligentissime conseruarunt. Ita enim PLINIUS habet: „Est anseri vigil cura Capitolio testata defenso, per id tempus canum silentio proditoris rebus. Quam ob rem cibaria anserum Censores in primis locant (s). „Eadem de causa supplicia annua canes pendunt inter aedem Iuuentutis „et Summani, viui in furcas fambucea arbore fixi (t)„. Et PLUTARCHVS canis in crucem sublati signum in Capitolio positum tradit, anseris autem in strato pretioso et ferculo residentis. Verba PLUTARCHI haec sunt (u): Ποιπείει δὲ μέχει νῦν ἐπι μνήμην τῶν τότε συμπτωμάτων ἡ τύχη, κώνω μὲν αἰνεσανθρακεύος, χῆν δὲ μελα σεμιώς ἐπὶ ἔρωμας πολυτελεῖς καὶ φορέις καθήμενος (x). En propriae cladis monumentum publicum;

(q) LYCAN. L. III. 216, 217. (r) Conf. allgemeine Weltgeschichte T. II. p. 109. sqq.

(s) Nat. Hist. L. X. c. XXII. (t) Id. L. XXVIII. c. III.

(u) de Fortuna Romanorum, p. m. 325. (x) Conf. CICER. pro Sex. Rosc. Amer. c. XX.



licum; en canes annuam culpe poenam luentes! Satis iam mihi videor
conjecturam de *Carseolana vulpe* confirmasse.

Quod superest, vt *Patroni, Ephori, Amici*, gymnasio nostro
bene cupientes eras hora post meridiem II ad audiendas orationes, in-
fra indicandas, in auditorio primae classis frequentes conuenire, auribus
linguisque fauere, et praesentia sua decus splendoremque scholae nostrae
commodare velint, rogamus et quæsumus. P. P. Hallae Magdeburg,
d. VI. Ianuar. c1515 CCL.

Alumni hoc ordine dicent, simulque b. IOACHIMI OELHAFIS
memoriam grati recolent.

IO ANN. ANDREAS WILHELMVS BÜCHNER, Zimma-
Erfordiens. de *cultu solis*, versibus germ.

CAROLVS AVGVSTVS FRITZE, Hallensis, de *annium diu-
nitatem* orat. latina.

CHRISTIAN. FRIDERICVS MÜLLER, Numburgensis, de
Christo deorum euersore, germanice.



N.23. 78 L 1637 [31]

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow


Green

Cyan

Blue

Centimetres
Inches

Farbkarte #13



Q. B. V.

קָרְשָׁעָנָךְ

H. E.

SEOLI

ILLVSTRANDVM

I C. X V. 4. 5.

LOCVM

MENTATIO

QVA

AD AVDIENDAS

NES QVASDAM

ANVAR. CICCI

IN

SIO HALLENSI

INVITAT

MICHAEL GASSER,

N. HALL. RECTOR.

E MAGDEBURGICAE,

ANVELIS SCHNEIDERL.

78 L 1637 [31]

104 7850

AK